

per actionem immanentem, ope nutritionis. Unde videtur concludendum esse, formationem ejusmodi esse fructum principii alicujus vitalis in embryone existentis: quod nos contendimus. Utrum porro in homine saltem ab initio conceptionis, adsit anima rationalis, an potius alia inferior et vitalis, quæ domum, ut ita dicam, extruat convenientem animæ rationali, non est hujus loci definire.

Objic. 3.^a Natura in rebus generandis solet procedere ab imperfecto ad perfectum. Ergo prius debet efformari organismus viventis, quam embryo anima informetur.

Respondeo, *trans. antec., neg. conseq.* Nequeunt enim a priori definiri gradus, per quos natura in singulis casibus ab imperfectioribus ad perfectiora procedat: sed experientiam consulere necesse est, ut cognoscantur infimi gradus, a quibus natura suum inchoat opus. Cæterum in processu generationis, etiam admissa sententia nostra, egregie salvatur consuetus naturæ ordo tum in præparatione ovi fœcundandi, tum in organismi formatione (1).

Sunt etiam aliæ quæstiones, connexionem habentes cum hac materia, quas veteres Philosophi solebant innuere: ejusmodi sunt v. g. causæ diversitatis sexuum in diversis individuis, origo monstrorum (2), ratio similitudinis, quam filii gerunt cum parentibus, et generatim lex, quam vocant *hereditatis*, secundum quam filii parentum non solum lineamenta corporis, sed etiam sæpe temperamentum, propensiones, morbos, etc., imitantur et alia id genus. Verum hæc potius spectant ad Physiologos, quamvis ne ipsa quidem Physiologia de multis hujusmodi naturæ arcanis quippiam certi potuerit hactenus expiscari.

(1) Quæ ex questione de successiva plurium animarum in humano embryone existentia objici possent, in opportuniorem locum a mandanda censemus.

(2) Qua de re consule, si lubet, Bellynck in sua *Botanica* in tractatu *Teratologia*, et H. Milne-Edwards, op. cit. vol. 14, pag. 287 seqq., ubi plures alii in hanc rem laudantur scriptores.

ARTICULUS V.

De potentiis vegetabilibus.

154. Declaratis functionibus operationibusque vegetalium, reliquum est, ut earum principia vel potentias inquireamus. Solis enim positivivis ea licet philosophandi ratio, quæ operationum ac phænomenorum, quæ intuemur, principium et virtutem productivam ab iisdem distinctam non agnoscit, immo et agnoscentes impudenter irridet. Necesse est itaque potentias vegetales admittere, nutritivam, quæ sæpe intelligitur communi vocabulo *vegetativæ*, augmentativam et generativam, tamquam principia proxima hujusmodi actionum. Nutritiva est facultas conservandi proprium corpus reparando illud a jacturis per alimenti susceptionem: augmentativa est facultas augendi molem proprii corporis per intus-susceptionem nutrimenti: generativa demum est facultas producendi aliud individuum ejusdem speciei. De potentiis autem vegetabilibus in primis patet jam id, quod de earumdem objecto statuimus superius, cum generalis potentiarum animæ divisio tractaretur. Nempe objectum earum tamquam id, ad quod actiones vegetativæ terminantur, est corpus ipsum vegetale, corpus quidem proprium respectu potentiæ nutritivæ atque augmentativæ, et corpus aliud novum respectu generativæ; objectum autem tamquam materia, circa quam exercentur, est nutrimentum. Et quia circa hujusmodi objectum se habent active, alterando ac transmutando illud, ideo rectissime dicuntur potentiæ activæ. Potentias vegetativas jam ostendimus re distingui a forma substantiali vel anima, unde fluunt. Itaque nunc duæ tantum restant de illis tractandæ quæstiones:

155. Prima est, utrum potentiæ vegetativæ, nutritiva, augmentativa et generativa distinguantur realiter inter se, ac proinde quot sint omnino numerandæ: qua de re nihil certum invenio apud veteres Doctores, quorum sententiæ

Necessitas
admittendi
potentias
vegetativas,

nutritivam,
augmentativam,
generativam.

Earum
objectum.

Potentia
vegetativæ sunt
activæ.

Utram inter se
distinguantur.

variant (1). Nutritivam et augmentativam non arbitror distinguere plus quam ratione; tum quia nec actus ipsarum re videntur distinguere, ut superius vidimus; tum quia etiamsi distinguerentur actus, non video, cur una eademque potentia realis non possit sufficere ad duos actus valde inter se similes, sive modus operandi earum consideretur, per conversionem videlicet alimenti in aliti substantiam, sive terminus, quem respiciunt, nempe corpus proprium ipsius vegetalis. De potentia etiam generativa nonnulli existimant, eam a nutritiva realiter non distinguere, quia ipsam quoque generationem re identificant cum nutritione. Mihi tamen videtur generativam omnino distinguere a nutritiva, tum quia actus etiam earum ac termini distinguuntur, generatio enim certe non nutrit, nec auget proprium generantis corpus, sicut nutritio et augmentatio; tum quia subjecto ipso et organo diversificantur, nam virtus nutritiva per omnes et singulas partes corporis porrigitur, secus vero generativa, ut patet potissimum in animalibus. Præterea nutritiva perdurat, postquam generativa fuerit extincta. Virtus porro nutritiva, ut ex superius disputatis eruitur, importat virtutem alimenti conversivam in aliti substantiam, potentia vero generativa complectitur adæquatam potentiam fecundandi, et consequenter animandi ovum, ut nobis quidem videtur, ac proinde in altero sexu virtutem parandi principium passivum, in altero virtutem ipsam illius fecundatricem videtur comprehendere.

Utrum
multiplices
actiones,
nutritio et
generatio
subordinatæ,
per totidem vires
diversas
exerceantur.

Verum quoniam et nutritio et generatio, ut jam vidimus, præter ipsam assimilationem fecundationemque, in quibus istæ operationes videntur formaliter sitæ esse, alias quoque functiones complectitur ad proprios fines subordinatas, queri potest, utrum ad ejusmodi functiones novæ aliæ vires, a substantia viventis distinctæ, requirantur. Equidem

(1) Vide S. Thom. (1 p., quæst. 78, art. 2), Suarez (*de Anim.*, lib. 2, cap. 9 et 10), Coimbraenses (*de Anim.*, lib. 2, cap. 4, quæst. unic.), Rubium (*de Anim.*, lib. 2, tract. de *potentiis animæ*, quæst. 2), Soares Lusitan. (*de Anim.*, tract. 2, disp. 1, sect. 4), Mauri (*Questiones philos.*, lib. 4, quæst. 31), Joann. a S. Thom. (*de Anim.*, quæst. 3, artic. 1, 2, 3), Lossada (tract. *de Anim.*, disp. 5, cap. 1), Complutenses Carmelitanos (*de Anim.*, disp. 8, quæst. 3 et 4), etc.

crediderim, illas alias actiones effici posse per varias, quæ viventibus etiam corporibus insunt, proprietates ac vires physicas et chemicas naturæ inorganicæ communes, sub directione tamen ac superiore influxu vegetativæ virtutis vel vitalis principii, cujus erit supplere quicquid prædictis viribus desit. Neque vero ad hoc præstandum necessarium reputo, plures ponere virtutes in potentia nutritiva et generativa; cum enim omnes illæ diversæ functiones unum eundemque finem et objectum respiciant, sufficit, opinor, una dumtaxat virtus nutritiva et altera generativa, quæ complens et elevans vires physicas et chemicas, earumque deficientiam supplens, perficiat totum opus sive nutritionis sive generationis (1).

156. **Secunda quæstio:** quodnam sit subjectum potentialium vegetativarum. Cujus solutio pendet ex natura illarum, hæc vero pendet ex natura vegetativarum actionum. Quæ omnes sunt materiales, seu dependentes a materia; nam nutritio, augmentatio et generatio neque exercentur extra materiam, nec nisi circa materiam; quare sub hoc respectu non minus sunt materiales, quam calefactio vel quævis alia inorganicæ naturæ actio. Quod si actiones vegetativæ materiales sunt, potentiæ ad eas eliciendas natura ipsa institutæ, materiales sint, oportet; potentiæ namque specificantur per actus. Si ergo materiales sunt potentiæ vegetativæ, necesse est, ut subjectentur in materia, vel sola, vel in materia simul et forma seu in composito, pro varietate opinionum circa subjectum potentialium et materialium accidentium (2).

Subjectum
potentialium
vegetativarum.

Si porro quæras, in qua parte vel materiæ vel compositi inhæreant vegetales potentiæ; respondebo nutritivam reperiri in omnibus et singulis partibus organismi, nulla enim est, si Physiologos audiamus, quæ non nutriatur. At generativa saltem in animalibus non residet extra organa peculiariter.

(1) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 78, art. 1; *de Anim.*, lib. 1, lect. 14 initio.

(2) Qua de re conferantur superius dicta num. 53, pag. 219, et in *Cosmolog.*, num. 341 seqq., pag. 1145 seqq.